

REGULA PRO EREMITORIIS [RegEr]

¹ Illi qui volunt religiose stare in eremis, sint tres fratres vel quattuor ad plus; duo ex ipsis sint matres et habeant duos filios, vel unum ad minus. ² Isti duo qui sunt matres teneant vitam Marthe, et duo filii teneant vitam Marie (cfr. Lc 10,38-42) et habeant unum claustrum, in quo unusquisque habeat cellulam suam, in qua oret et dormiat.

³ Et semper dicant completorum de die statim post occasum solis, et studeant retinere silentium, et dicant horas suas. Et in matutinis surgant, et *primum* querant *regnum Dei et iustitiam eius* (Mt 6,33; Lc 12,31). ⁴ Et dicant primam hora qua convenit, et post tertiam absolvant silentium et possint loqui et ire ad matres suas. ⁵ Et quando placuerit, possint petere ab eis elemosynam sicut parvuli pauperes, propter amorem Domini Dei. ⁶ Et postea dicant sextam et nonam, et vesperas dicant hora qua convenit.

⁷ Et in claustro ubi morantur, non permittant aliquam personam introire et neque ibi comedant.

⁸ Isti fratres qui sunt matres, studeant manere remote ab omni persona, et per obedientiam sui ministri custodiant filios suos ab omni persona, ut nemo possit loqui cum eis. ⁹ Et isti filii non loquantur cum aliqua persona nisi cum matribus suis et cum ministro et custode suo, quando placuerit eos visitare cum benedictione Domini Dei.

¹⁰ Filii vero quandoque officium matrum assumant, sicut vicissitudinaliter eis pro tempore visum fuerit disponendum, quod omnia supradicta sollicite et studiose studeant observare.